



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.  
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In  
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.  
VII. Pont. Max.

**Esparza Arteida, Martin de**

**Lugduni, 1666**

V. Vtrum cogitatio congrua sit debita ex natura rei saltem vagè alicui, vel  
aliquibus ex tota hominum multitudine pro quouis statu?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

QVÆSTIO V.

*Virum Cogitatio congrua sit debita ex natura rei, saltem vagè, alicui, vel aliquibus ex tota Hominum multitudine, pro quouis statu?*



IDEIVR non esse debita. 1. Quia nulli determinate sumpto est debita vlla congrua Cogitatio, vt nuper dictum est. Ergo nec vagè, & indeterminatè debetur. Patet consequentia. Quia quod nulli est debitum, est omnibus indebitum. Nam *nullus non*; valet *Omnis*. Probatur rursus consequentia; Quia Deo ex multiplicitate eligibilium, & instantium, pro quibus eligere potest, nulla prorsus accrescit necessitas eligendi aliquod ex illis, vt liquet ex electione creandi mundum, quæ fuit expertis omnis necessitatis tum physicæ, tum moralis, tametsi essent infiniti Mundi eligibiles, & infinita in vnoquoque individua, & pro infinitis temporum differentiis, atque in oppositum non suppetet, nisi vnica electio, & vnicus eligendi modus, nihil vnquam producendi. Ergo si quidem congruam cogitationem non debet Deus ex natura rei, ideoque potest negare cuilibet indiuiduo determinatè congruam cogitationem, potest eandem eodem modo negare toti hominum collectioni sumptæ collectiue.

2. Si necesse esset, Deum conferre aliquam Cogitationem congruam toti hominum collectioni, vnoquoque homine, vagè ac indeterminatè sumpto; posset ipsa Collectio gloriari de aliquo bono opere, quasi non accepisset illud à Deo; quod non minus absurdum est, quàm si aliquis homo in particulari posset gloriari de suo opere bono, quasi non accepto. Nec enim minùs dependet à Deo, & eius misericordia gratuita, tota Collectio hominum, quàm quilibet homo seorsim, ac determinatè.

3. Qui dixit, *Necesse est vt veniant scandala*, non dixit similiter, *necesse est, vt veniant bona exempla*. Ergo non ita necesse est respectu diuinæ potentie, vt largiatur vagè alicui indiuiduo cogitationem congruam, sicut necesse est ratione fragilitatis humanæ, vt aliquis homo peccet, suæque culpa impediatur Cogitationem congruam, atque cum sola incongrua relinquatur.

4. Si congrua cogitatio esset debita indeterminatè alicui ex tota Hominum collectione, cuilibet homini esset optabile, vt cæteris omnibus daretur Cogitatio incongrua, & consequenter, vt cæteri omnes peccarent semper. Quia quod debetur indeterminatè alicui ex multitudine, redditur determinatè debitum vnicuique, si cæteris omnibus negetur. Est autem optabile vnicuique, vt sibi sit debita determinatè Cogitatio congrua. Ergo si ea est indeterminatè debita alicui, ex tota hominum collectione, vnicuique est optabile, vt cæteris omnibus eadem negetur, hoc est, vt cæteris omnibus detur cogitatio incongrua, & consequenter, vt cæteri omnes peccent, quod est absurdum.

5. Liberum Deo fuit eligere existentiam; vel eorum tantum, qui peccaturi erant: vel eorum tantum, qui erant bene operaturi, eademque est ratio de opportunioribus, & circumstantiis tum bene, tum malè operandi. Ergo necesse non est ex natura rei, nec

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

etiam vagè, vt detur alicui aliqua congrua cogitatio, vel vt detur alicui aliqua cogitatio incongrua, sed potuit facere Deus, vt omnes, & semper haberent cogitationem congruam: vel vt omnes, & semper haberent cogitationem incongruam.

Art. 1. Resp. In qualibet multitudine causarum æquè, aut ferè indifferentium ad vtramque partem contradictionis, aut contrarietatis, est magis probabile, futuram esse quamlibet difformitatem determinatè sumptam, quàm totalem omnium vniformitatem, & futuram esse maiorem quamlibet difformitatem, quàm minorem. V. G. difformitatem immediatam minimam omnium difformitati, quàm ipsam omnium minimam difformitatem, & sic de cæteris similiter. Quia vniformitas totalis habet plures causas adequatas, quarum quælibet se sola possit illam impedire, quàm difformitas omnium minima. Totalem etenim vniformitatem potest impedire se solo quilibet binarius contentus in collectione. Quilibet namque duo ex collectione sufficiunt se solis, vt alter eorum velit, & alter nolit: & hoc posito quomodocumque se gerant cæteri, iam erit impedita totalis vniformitas, vt patet. Ergo vniformitas tot habet causas adequatas impeditivas sui, quot sunt binarij in collectione contenti. At difformitatem omnium minimam nulli duo possunt impedire se solis. Si enim alter ex duobus velit, & alter nolit, possunt cæteri omnes contenti in collectione, vtrilibet eorum accedere; atque ita constituere difformitatem omnium minimam. Si verò vterque velit, aut vterque nolit, poterunt illis accedere cæteri, vel plures, vel pauciores, vel omnes præter vnum: atque ita constituere difformitatem omnium minimam, vel omnium maximam. Ergo difformitas omnium minima non habet tot causas adequatas impeditivas sui, quot sunt binarij in collectione contenti: Atque adeo non habet tot causas adequatas impeditivas sui, quot sunt causæ adequatæ impeditivæ vniformitatis.

Art. 2. Similiter quilibet quaternarius sufficit se solo ad impediendam difformitatem omnium minimam. Quilibet enim quaternarius sufficit se solo, vt duo velint, & duo alij nolint, quo posito erit impedita difformitas omnium minima, de cuius videlicet ratione est, vt vnus tantum sit disconformis, cæteris omnibus inter se conformibus. At difformitatem immediatam minimam nullus quaternarius potest impedire se solo. Quia si omnes quatuor velint, vel si omnes quatuor nolint, possunt illis accedere cæteri, solis duobus non accedentibus, quo posita erit difformitas immediata omnium minimæ, vtpote quæ consistit in conformitate omnium præter duos. Si verò duo velint, & duo nolint, vtrilibet binario possunt alij omnes accedere, quo etiam posita erit difformitas immediata omnium minimæ. Si denique vnus velit, & tres nolint, aut vnus velit, & tres nolint, quæ est postrema combinatio inter quatuor, poterunt illis tribus accedere cæteri præter vnum, quo non minùs posita erit eadem difformitas immediata minimæ: siquidem erunt duo disconformes, conformibus cæteris omnibus. Eadem est ratio de qualibet alia difformitate maiori comparata cum minori. Habet igitur plures causas adequatas impeditivas sui vniformitas totalis, quàm quælibet difformitatis species determinatè sumpta, & quælibet difformitas minor, quàm maior: siquidem in quilibet collectione sunt plures binarij, quàm quaternarij, & plures quaternarij, quàm quælibet maior combinatio, &c.

Art. 3. Manifestum autem est, probabilius esse, id impediendum esse, quod habet plures causas adequatas impeditivas sui, quarum quælibet est æquè indifferens ad impediendum, vel non impediendum,

M m 3

quàm

quàm ad impediendum esse, quod habet pauciores eiusmodi causas impeditivas sui. Quia quælibet causa æquè indifferens ad impediendum, vel non impediendum aliquod, V. G. submerfionem navis, se sola reddit aliquatenus probabilem impeditionem submerfionis, & fundat spem aliquam, quod sequetur impeditio: Reddit enim verum hoc iudicium: *Forassis impeditur*. Ergo si illi causæ addatur alia similis causa potens impedire, crescet probabilitas, & spes impeditonis: siquidem quodvis finitum crefcit, facta sibi additione. Ergo quò fuerint plures eiusmodi causæ impeditivæ, eò erit magis probabilis futuritio impeditionis, magisque sperabilis impeditio. Magis igitur probabile est impediendum esse, quod habet plures causas adæquatas impeditivas sui, quarum quælibet est æquè indifferens ad impediendum, & non impediendum, quàm quod habet pauciores eiusmodi causas impeditivas sui.

Art. 4. Manifestum rursus est, minus probabile esse, id esse futurum, quod est magis probabile impediendum esse. Quia maior probabilitas vnius partis contradictionis, est per seipsam minor probabilitas oppositæ partis. Minus igitur probabile est futuram esse vniformitatem, quam diffirmitatem quamlibet, & inter diffirmitates, futuram esse maiorem, quàm minorem diffirmitatem in qualibet collectione plurium, quorum quilibet sit æquè indifferens ad vtramque partem contradictionis.

Art. 5. Adde quò numerosior fuerit multitudo individuorum æquè indifferensium ad vtramque partem contradictionis, eò fore minus probabilem vniformitatem inter illa. Quia eò sunt plures causæ, quarum quælibet sufficit se sola ad impediendam vniformitatem, & consequenter eò est maior excessus numeri causarum adæquatarum valentium impedire vniformitatem, quæ formaliter sumpta semper consistit in indivisibili, supra numerum causarum adæquatarum, valentium impedire vnam quamlibet diffirmitatis speciem, V. G. diffirmitatem omnium minimam. Si enim collectio sit centum hominum, causæ adæquate valentes impedire vniformitatem, erunt quinquaginta, tot namque sunt binarii: Valentes verò impedire diffirmitatem omnium minimam, erunt solum vigintiquinque, iuxta dicta: Ideoque excessus erit penes vigintiquinque. Si rursus collectio fuerit ducentorum, idem excessus erit eadem ratione penes quinquaginta, & sic de simili qualibet additione. Excessus autem minoris probabilitatis est omnino proportionatus excessui penes numerum talium causarum, vt apparet ex superiori discursu. Quare augendo semper multitudinem talium causarum magis, & magis, eò tandem aliquando devenietur, vt vniformitas sit penitus improbabilis, ac moraliter impossibilis: Et diffirmitas omnium minima valde improbabilis, ac difficilis, & sic descendendo vsque ad diffirmitates maiores, probabiliter euenturas, & eò probabilius quò fuerint maiores.

Art. 6. Cum igitur multitudo Hominum à principio ad finem vsque Mundi, sit propemodum infinita; & aliunde singulis hominibus sit per se innegabilis ex natura rei, potestas moralis, id est æquè, aut fere indifferens ad bene, & malè operandum, vt dictum est in quæst. præcedenti, sequitur fuisse moraliter impossibile per se, & ex natura rei, vt omnes homines, nullo prorsus excepto, convenirent inter se, aut in operando bene, aut in operando malè, pro omni temporis differentia, & opportunitate operandi. Quod autem est moraliter impossibile, perfectum, &

supremi generis impossibilitate morali, qualis proculdubio est ista, quæ modò illata est, nunquam contingit. Igitur Deus non prævidit vllam hominum collectionem æqualem multitudini hominum de facto existenti, & exponendam tot opportunitatibus operandi, quod existunt de facto, futuram esse totaliter conformem, aut in operando bene, aut in operando malè, & consequenter nullam talem collectionem hominum, & opportunitatum prævidit vniiformiter existentem, aut totam, & semper cum cogitatione congrua; aut totam, & semper cum incongrua. Patet hæc vltima consequentia; quia aliquem, vel aliquos bene operari, est habere congruam cogitationem; certè est inseparabile à congruitate cogitationis, & eodem modo peccare, est quid inseparabile ab incongruitate cogitationis. Quare fieri nequaquam potuit, vt toti hominum collectioni sumptæ collectionis, negaretur congrua cogitatio, aut vt eadem toti eidem collectioni sumptæ daretur: Ergo congrua cogitatio est innegabilis vagè toti hominum collectioni, pro quovis statu, loquendo per se; ac proinde non habet rationem Gratia superadditæ, vel respectu Creationis, vel respectu Elevationis, vt sic, & in communi, comparatione totius multitudinis hominum, sed vagè comparatione alterius individui vagè sumpti.

Art. 7. Confirmatur ex aliquorum Patrum responsione ad antiquam, & celebrem quæstionem; Cur Deus, cum sit summè bonus, ac benignus, non impedierit omnia peccata Angelorum, & Hominum, eosque creaverit, præscius peccaturos fuisse, si crearentur? Respondent enim, vt videre licet, inter alios apud Montoisiam disputatione 65. de Scient. Dei sect. 3. 4. & 5. Deum facere minimè potuisse, vt vitarentur omnia peccata Angelorum, & Hominum, salva eorum libertate, qualis vtiq; ipsis est connaturaliter debita. Esto iuxta alias providentiæ extraordinariæ leges aliter facere potuerit, qui est Dominus vniuersorum, & Omnipotens. Ergo nec fieri potuit, vt salva eadem Libertatis indifferentia impediretur omne opus bonum, nullaue conferretur cogitatio congrua. Consequentia tenet primò, quia multitudo eorum, quorum singuli habent æqualem indifferentiam ad alterutrum ex duobus extremis, neutrum eorum maiori necessitate fundata in natura talis multitudinis, inducere valet, quàm alterum. Tenet rursus consequentia à fortiori. Quia Augustinus inter alios apud eundem, ibidem docet semel, atque iterum, Deum nec permissurum fuisse peccata, nec producturum reprobos, nisi ex illis collecturus fuisset fructus bonorum operum; & ex istis vtilitatem prædestinatorum. Idque vbique deducit ex natura rerum, & bonitatis diuinæ. Id verò perinde est, atque dicere, nulli Deum collaturum fuisse cogitationem incongruam, nisi eidem, vel alteri collaturus fuisset cogitationem congruam. Ergo si necesse fuit ex natura rei dare alicui, vel aliquibus aliquando cogitationem incongruam, necesse vtiq; fuit à fortiori ex natura rei, vt aliquam alicui conferret cogitationem congruam, ac proinde huius existentia non habet rationem specialis gratia respectu totius collectionis hominum, & vagè respectu alicuius individui.

Ad 1. Collectio ex multis conflata, superaddit singulis reliquos, vnde à singulis distinguitur inadæquate; sicut ab vnoquoque distinguuntur realiter ceteri. Is autem, quæ distinguuntur realiter, possunt prædicata contradictoria convenire. Non igitur valet consequentia ex vi formæ, ex indebito respectu cuiusvis in collectione contenti, ad indebitum respectu totius collectionis; & eadem est ratio de conse

consequentia ab vnoquoque determinatè sumpto, ad vnumquemque indeterminatè, ac vagè. Vnde, *Nul-  
lus*, non valet *Omnis*, si utrobique sit eadem suppositio: non verò si in altero termino suppositio sit vaga, & in altero distributiva, seu collectiva. In re nostra, cogitatio congrua, & bonum opus cuiusque habet ex natura sua impossibilitatem moralem cum vni-  
formitate reliquorum, quoad congruitatem, & bonam operationem, ut ostensum iam est. Nunquam autem est bona consequentia à singulis ad collectionem, quoad ea, quorum existentia in aliquibus est ex sua natura impossibilis, cum existentia eorundem in cæteris. In Deo nulla multiplicitas eligibilium, aut instantium, pro quibus eligere potest, vllam inducit probabilitem electionis casuræ potius in aliquod ex illis, quam in extremum oppositum consistent in indiuisibili. Quia siue eligibilia sint multa, siue pauca, siue vnicum, semper est vnicum, & indiuisibile motuum, & causa eligendi; sola namque moueri potest bonitate essentia suæ. At respectu voluntatis creatæ, tot sunt causæ motuæ eligendi, quot sunt eligibilia; atque multiplicatis causis, quarum quælibet sufficit ad inducendum effectum, augetur probabilitas futuritionis talis effectus, ut constet ex discursu superiori. Quare necessitas, ut Deus conferrat congruam cogitationem alicui ex tota hominum multitudine, reultat indirectè in Deum ex necessitate, quæ inest hominibus, ne sint inter se conformes, quoad operationem bonam, vel malam, ex suppositione, quod constituentur à Deo æquè indifferentes.

Ad 2. Nulla multitudo hominum, aut aliarum quarumlibet causarum perfectè indifferentium ad bonum, & malum æqualis multitudini hominum de facto existentium, est indifferens, ex natura rei, ut tota collectiue careat cogitatione congrua; sed est ex natura rei determinata, saltem moraliter, ut inest congruitas alicui indiuiduo. Quare de tali determinatione gloriari non potest, quasi de aliquo non accepto à Deo; nec propterea habet aliquid, per quod discernatur ab aliâ simili multitudine. Nihil igitur propterea habet, de quo gloriari possit, tanquam de re non accepta à Deo, & quasi se per se ipsam discreuerit ab aliâ multitudine.

Ad 3. Non minus necesse est: Certè non multò minus, aut multò aliter necesse est, ut proueniant bona exempla, quam ut veniant scandala, posita perfecta singulorum hominum indifferentia, ad vtrumlibet illorum. Cæterum quia scandala proueniunt ab hominibus, quibus ea suppositio non est libera; propterea absolutè dicitur, *necesse esse, ut veniant scandala*. Quia eorum necessitas non est vitabilis à causa ipsorum, sed est inenitabilis, modo iam explicato. At bona exempla proueniunt à Deo, tanquam à primo, & principali ipsorum Auctore; atque ipsi non est inenitabilis; sed omnino libera suppositio existentia hominum, & indifferentia eorundem, ut dent bona exempla, ac propterea, non potest eodem modo absolutè dici, quod necesse sit, ut veniant bona exempla. Quia videlicet, respectu causæ principalis, & præcipuæ ipsorum non est necessaria suppositio fundans necessitatem eorum, qualis explicata est.

Ad 4. Quando necessitas vaga multitudinis quoad aliquod bonum, vel malum fundatur in perfecta indifferentia singulorum, ad illud habendum, & vitandum, non reddit optabilem respectu singulorum omissionem boni, vel incursum mali in cæteris contentis in collectione. Quia vnusquisque eodem prorsus modo comparatur in actu primo ad suam ele-

ctionem bonam, vel malam, cæteris omnibus quomodolibet se habentibus; nec redditur melioris conditionis, quoad electionem bonam faciendam, & vitandam malam, ex eo quod cæteri omittant electionem bonam, & faciant malam. Nec enim ex vnoquoque sic, vel aliter operante, redundat in aliquem alium peculiaris dispositio bona, vel mala, ipsum peculiariter aut determinans, aut alliciens, ut eligat bene, utque euitet malam electionem. Hic nimirum est casus, de quo quaeritur in præsentia; sed causat æquiuocationem, quod cognitio electionis mala facta à cæteris omnibus contentis in collectione, præter vnum, determinet intellectum ad iudicandum illum vnum facturum esse bonam electionem, & habiturum esse congruam cogitationem; Determinat verò legitime ex vi discursus superioris: At electio reliquorum, præter vnum, non ita præcedit electionem illius vnus pro priori naturæ, nec afficit intrinsecè, mediatè, vel immediatè voluntatem illius, sicut præcedit cognitio, & afficit intrinsecè intellectum iudicantis, ac inferentis vnum ex alio. Quod discrimen est manifestum, & maximè obseruandum, pro rebus similibus, propter innatam inclinationem transferendi in obiecta prædicata proportionalia prædicatis cognitionum; quæ inclinatio persæpe nocet, ac fallit in scientiis. In necessitate vaga non fundata in perfecta indifferentia singulorum, alia longè ratio est, ut apparet consideranti, quæ dicta sunt.

Ad 5. Omnia creata sunt libera Deo absolutè in vtramlibet partem; Non tamen facta qualibet suppositione, quia suppositio aliquorum effectuum inducit sæpè necessitatem quoad aliquos alios effectus, ut exponetur questione sequenti; atque eiusmodi suppositio est existentia causarum secundarum liberarum respectu multitudinis ipsarum, & inde respectu disconformitatis inter easdem, quoad bene, & malè operandum; ut dictum est. Vnde impossibile fuit ex natura rei, ut existerent, vel soli operaturi semper benè; vel soli operaturi semper malè.



## QVÆSTIO VI.

*Vtrum diuisio Gratiæ in naturalem, & supernaturalem sit diuisio in Auxilium debitum, & indebitum?*



IDEVR non esse. 1. Quia Bona in-  
doles, præclarum acumen ingenij,  
Splendor Natalium, diuitiæ, Prin-  
cipatus, & similia, nulli homini de-  
bentur; sed Deus ea largitur cui  
vult, liberaliter, & gratiosè; & ta-  
men sunt bona omnino naturalia. Ergo non conuer-  
titur Indebitum cum Supernaturali; neque connatural-  
le cum eo, quod debetur.

2. Cuilibet inest capacitas vniuersalis ad omnia sibi conferibilia à Deo; & Deo similiter conuenit potestas vniuersalis conferendi omnia, quorum est capax Creatura. Ergo neque ex parte capacitatis Creaturæ, neque ex parte potentia diuinæ datur vllum discrimen bonorum, quæ debeantur, & non debentur rebus creatis. Ergo discrimen naturalis,